



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput VII. De officiis ex Amore sui ipsius fluentibus, per quae propriae
Salutis neglectu hujus promotio succedit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

CAPUT SEPTIMUM.

De officiis ex *Amore sui ipsius* fluentibus, per quæ propriae *Salutis neglectui* ejus promotio succedit.

SUMMARIUM.

- I. Vitia, quæ verus sui ipsius Amor extirpat, enumerantur §. 1—33.
- A. Radix est INCURIA propriae Salutis 2. 3.
- B. Effectus hujus incuria 4—33. sunt
1. Ignorantia sui ipsius 4. 5.
 2. Pusillanimitas 6. 7.
 3. INTEMPERANTIA 8—33. quæ
 - a. Definitur 8.
 - b. Per partes deducitur 9—33.
 - a. Quoad irrogenitos 9—32.
 - N. Origo ejus indicatur in Confusione affectuum 9—11.
 2. Exercitium ejus consistit in obsequio affectuum 12—31. quod
 - a. In genere proponitur 12.
 - b. Specialius delineatur 13—31.
 - a. Ratione mentis 13.
 - b. Ratione corporis per ABUSUM CREATURARUM 14—31.
- S § † In

- † In acquisitione 15.
 †† In fruitione 16—31.
 , *Nimis parca per AVARITIAM* 16. 17.
 „ *Nimis laxa per PRODIGALITATEM* 18—31. *que duos fontes habet*
 / *ARROGANTIAM* 19—24. *Notanda hic*
 — *Vitia, que complectitur* 19—21.
 = *Fœditas ejus* 24.
 // *Amorem voluptatis* 25—31. *quo referimus*
 — *Comestationem* 26.
 III *Ebrietatem* 27. 28.
 III *Lautitiam* 29. 30.
 III *Otium ignavum* 31.

3. *Fœditas intemperantia* 32.

β. *Quoad regenitos* 33.

II. *Virtutes, per quas exercetur* 34—79.

A. *Fons earum est CURA propria SALUTIS* 34. 35.

B. *Effectus inde fluentes* 36—79. *sunt*

I. *EXPLORATIO sui ipsius* 36—39. *que*

a. *Describitur* 36—38.

b. *Momentum ejus indicatur* 39.

2. *ΑΥΤΑΡΚΕΙΑ* 40—43. *que*

a. *De-*

a. Describitur 40---42.

b. Momentum ejus indicatur 43.

3. MAGNANIMITAS 44---47. *que*

a. Describitur 44---46.

b. Commendatur 47.

4. TEMPERANTIA 48---78. *que*

a. Desinitur 78.

b. Per partes deducitur 49.

a. Quoad mentem 49.

β. Quoad affectus exercetur per CONTINENTIAM 50---61. *Illā describitur*

N. Relate ad affectus 51---57. *quorum requiritur*

a. Incitatio 51.

c. Sedatio per MANSUETUDINEM 52---57.

a. In se spectatam 53---55.

b. Spuriæ oppositam 56. 57.

γ. Relate ad singulos affectus 58---61.

γ. Quoad corpus per USUM legitimum CREATURARUM 62---78.

N. Ratione scopi 63.

γ. Ratione directionis ad hunc scopum per æquum Dominium in creaturas 64---78. *Huc spectat moderamen*

a. In acquisitione earum 65---69.

a. Laboris 65---67.

b. Quietis 68.

c. Laxamentorum 69.

b. In fruitione earum per Frugalitatem 70---78.

a. Cir-

a. Circa alimenta 71--75.

† Per Sobrietatem 71. 72.

†† Per Jejunium 73--75.

b. Circa tegumenta 76--78.

c. Momentum Temperantia 79.

I.

Cum peccator per odium veræ suæ excellentiæ in sui ipsius destructionem tendat, ab hoc *furore* eum Gratia Spiritus sancti sanat, dum omnes illas perversas dispositiones, quibus sui ipsius damnum identidem provocat, corrigit & in oppositas convertit. Quamvis autem huc quicumque habitus vitiosi, quatenus & *dedecus* & *damnum* naturæ nostræ inferunt, queant referri, potissimum tamen nunc illos duntaxat intendimus, quibus peccator directe in se ipsum pugnat & veram perfectionem suam impedit.

II. Crassius id fit per INCURIAM, *Αμέλειαν* quæ designat *illum perversum peccatoris habitum, quo & suæ perfectionis, & mediorum ad illam promovendam aptiorum curam nullam habet.* Hoc vitium omnibus peccatoribus commune est, qui *volunt mori* Ezech. xviii. 31. Est tamen secundum diversos gradus distinctum.

(1) Atrocius in illis conspicitur, qui in *stata securitatis* degunt, quem Lib. I. cap. 3. §. 18. descripsimus, & quibus Scriptura *βεβηλότητα, Profanitatem* tribuit, ut *Esavo, qui unico edulio vendidit suum jus primogeniti* Hebr. xii. 16. Ab hoc vitio gentiles ipsi non immunes erant, invitati per multa beneficia externa Act. xiv. 17.

Sed

Sed multo magis ejus rei sunt, qui plura gratiæ media habent & spernunt, quales erant Judæi per Evangelium invitati Matth. xxii. 5. Prov. i. 25. Act. xiiii. 46.

(2) Sed & illi hic tenentur, qui quamvis aliqua salutis cura videantur impleri, tanti tamen eam non æstimant, ut parati sint ad media illa cum abnegatione carnis arripienda, quæ Evangelium præscribit Matth. xix. 21. 22. Confer *Ignavia* vitium Lib. i. c. 9. §. 8. 9.

III. Crimen hoc tanto magis est abominandum:

(1) Quanto major est misericordia divina, quæ viam ad salutem ostendit, & in illam invitat.

(2) Quanto major est ipsa illa salus, quæ negligitur, & extra quam nulla alia reperitur Hebr. ii. 3.

(3) Quia nihil turpius est in homine rationis compote, quam *stoliditas*, per quam quasi *obruescit*, qui eo usque in propria causa cæcutit.

IV. Inter *effectus*, quos hæc *Incuria* habet, primum locum occupat **INEXCUSABILIS SUI IPSIUS IGNORANTIA**, quæ tale vitium mentis designat, quo *non solum intellectus sui ipsius cognitione, quæ requirebatur ad salutem suam promovendam, est destitutus, sed etiam voluntas illa media negligit, quibus hæc ignorantia removeri poterat, atque ab omni scrutinio sui ipsius abhorret.*

V. *Inexcusabilem* hanc ignorantiam appellamus,

(1) Quoniam expugnari posset, nisi per-

ver-

veritas voluntatis .scrutinium sui ipsius referet.

(2) Quoniam turpissimam animæ inurit maculam, quæ tot objectis extra se districta, quoad seipsam in tenebris versatur.

VI. Proximum est *PUSILLANIMITAS*, *ὀλιγοψυχία*, quæ in sensu generali *peruersum* naturæ præjudicium, per quod peccator nimis abjecte de seipso sentit. Præjudicium hoc versatur:

(1) Circa personam, quando oblitus originis suæ, mentisque immortalis, nonnisi caduca, quæ excellentem ejus naturam dedecent, sectatur Jes. LV. 2. quod fit per omnes illas pravas concupiscentias, in quas *Philantia* peruersa se dividit. Confer Lib. I. cap. 8. §. 10.

(2) Circa statum quoque suum peccator pusillanimitatem exerit in *diffidentia*, *timiditate*, *impatientia*, atque similibus motibus degenerem ejus indolem testantibus, qui alio quoque respectu ad *Intemperantiam affectuum* referri possunt. Et hujus vitii reliquæ in ipsis fidelibus satis frequentes sunt, quibus ea propter *ὀλιγοψυχία* tribuitur I. Thess. v. 14.

VII. Favet huic vitio, quod peccator non videatur nimis abjecte de se sentire posse, quodque nobis ipsis *diffidendi* semper suppetat ratio. Nihilominus excusari nequit.

(1) Quod illi, qui imagine Dei adhuc sunt destituti, *partim* ipsas facultates naturales ad longe excellentiorem finem factas & idoneas non agnoscant, *partim* bona, quæ acceperant, turpissime prodigant Luc. xv. 13. xvi. 1.

(2) Quod illi, qui vel minima scintilla gratiæ

tia divinæ sunt collustrati, satis tanti beneficii magnitudinem non æstiment.

VIII. Potissimum vitium, quod ad hanc classem pertinet, est *INTEMPERANTIA*, *Anegetia*, quæ ipsa quoque certa species est *Pusillanimitatis*, quatenus per eam peccator, abjecto Dominio, quod in seipsum gerere debebat, in servitutem sui ipsius teterrimam redigitur, unde specialissime sub *Servitutis* symbolo solet proponi Tit. III.

3. Per illam intelligimus *perversum peccatoris habitum*, quo propriam suam tam mentis quam corporis infelicitatem per cæcum obsequium, quod affectibus inordinatis præstat promovei.

IX. Supponitur ergo hic summa *Affectuum confusio* in homine peccante per primum peccati actum producta & paulatim aucta, donec totam hominis naturam invertit, digito indicata Lib. I. cap. 3. §. 10. Hic *confusionis* hujus & *origo* & *indoles* pressius debent perpendi.

X. Origo ejus est ipsa *Voluntatis* ad Bonum apparens inclinatio, orta ex *præjudicio immaturo*, quod Boni, Malique veri & apparentis ideas partim per præcipitantiam, partim per abalienationem a Bono vero, atque inde secutam pravam dispositionem permiscuit, ac loco *Boni intellectualis*, *Bona tantum sensualia* quærit.

XI Hinc secuta est summa *Affectuum corruptio*.

(1) *Affectus*, qui in abstracto *indifferentes*, atque in optimum Finem a Deo sunt inditi, per abusum omnes evaserunt *mali*. Quæ etiam ratio est, cur vox *Επιθυμια*, *Concupiscentiæ*, quam Spiritus S. de *Affectibus* usurpat, licet sit

VOX

vox media, in sensu tamen malo passim usurpatur Rom. VII. 7. 2. Tim. v. 6. Tit. II. 12. Jac. I. 14. &c. Malitia autem horum Affectuum apparet

(a) Quoniam circa *Bonum* ac *Malum verum* summumque animæ plane sunt immobiles.

(b) Quoniam nonnisi per *Bonum* ac *Malum* apparens corporis, quod in sensus occurrit, excitantur; & quidem ita ut iterum tam in *objecto*, quam in *modo* peccent.

(a) In *objecto* illegitimo, quando in *Bonum verum* feruntur, aut a *Malo* abhorrent, quod tanquam *remedium* majoris mali præscriptum est.

(b) Sed & *modus* est illegitimus, quoniam ultra, quam *objecti* legitimi natura ac pretium requirit, sunt incitati, atque ita ipsum illud corporis *Bonum*, quod intendebant, immoderata *objecti* sectatione ac fruitione disperdunt.

(2) Accedunt Affectus, qui natura sua *semper mali* sunt, quales sunt *Invidia*, *Vindicta*, *cupido*, *Desperatio*, cujus summus gradus est *Autorexia*, a Stoicis stolide laudata, cum sit indicium extremæ *Puillanimitatis*, animamque cum corpore simul perdat; unde in regentos stricte intellecta non cadit.

XII. His quasi tot *demoniis* cor obsidentibus *obsequium* peccator præstat Rom. VI. 12.

(1) *Negative*, quoniam illos in cursu suo non inhibet, sed pro lubitu voluntatem jam huc jam illuc temone omni excusso diripere permittit, quod sparsim indicamus, quia in illis quorum

rumcunque vitiorum particularium reliquorum
femina continentur.

(2) *Postive*, quoniam illis omnes suas reli-
quas tam mentis, quam corporis facultates vi-
resque subicit.

XIII. Ipsa mens Affectuum vinculis, quæ in
emphasi sunt *laquei Diaboli* 2. Tim. II. 26. capti-
va tenetur.

(a) *Intellectus* per illos impellitur ad vanam
Curiositatem, *νεπιεργεια*, exercendam circa co-
gnitionem rerum, quæ aut captum excedunt,
Rom. XII. 3. Col. II. 18. aut vetitæ sunt Act.
XIX. 19. aut nulla utilitate pollent, Gen. xxxiv.
1. 2. Act. XVII. 20. 21. præsertim quando ad
legitimum finem non diriguntur; atque ita im-
peditur a rerum magis præstantium & necessaria-
rum notitia.

(b) *Judicium* per falsas objectorum sensualium
ideas in phantasia productas obnubilatur, &
in errores periculosissimos præcipitatur Ephes.
IV. 22.

(c) *Voluntatis propensio* impellitur ad se magis
magisque a vero Bono elongandum, & ad sur-
scipiendum cum summa audacia, ruptis omni-
bus obligationum relationumque suarum vincu-
lis, quicquid concupiscentias malas implere
potest Jerem. II. 13. 24.

XIV. *Corpus* sub eadem Affectuum tyrannide
tenetur, & ab illis inquinatur, dum Motus im-
puri in illo per Affectus excitantur, qui Intelle-
ctui phantasiam communicati novos semper ad
peccandum stimulos menti exprimunt. Quos
autem impulsus peccaminosos voluntas per Cor-

T

pus

pus accepit, illos ejusdem *Corporis instrumento* in actum deducit. Pleraque enim peccata, etiam contra Deum, & multo magis contra Proximum, hanc indolem habent, ut ad plenam maturitatem tum demum pertingant, quando mediante corpore in actum deducuntur. Hinc pravi Affectus *concupiscentia carnis* dicuntur Eph. II. 3. Gal. v. 16. 1. Petr. II. 12. Maxime autem locum habet circa illa peccata, quibus directe Odium contra seipsum abstracte a Deo & Proximo exercetur, quo referimus, quicquid ad *intemperantem Creaturarum abusum* pertinet, idque tum quatenus in earum *acquisitione*, tum quatenus in earum *fruitione* homo est occupatus. Utraque via vires corporis, quæ Deo debebantur, creaturis impenduntur & sacrificantur.

XV. Ad *intemperantem creaturarum acquisitionem* spectant

(1) *Cura mundana* modum excedentes Matth. VI. 34. Luc. XXI. 34. quæ supprimunt semen Verbi divini Matth. XIII. 22. Marc. IV. 19. si-ve cogitationes nimis in objecta externa desiderio sint defixæ, si-ve *solicitudo* ac *diffidentia* auxilii divini in bonorum temporalium defectu mentem subeat Matth. VI. 25. sq. Phil. IV. 6.

(2) *Excessus in labore*, quo mundana bona quærimus comparare, quando per illum vires exhauriuntur ac tempus præscinditur, quod in thesauris cœlestibus accumulandis salubrius collocaretur Ps. cxxv. 2. Eccles. I. 22. 23.

(3) *Temeritas* seu *Audacia* in periculis subeundis, etiam extra vocationem, Bonorum temporalium obtinendorum causa.

(4) Omnia

(4) Omnia media prohibita dominium in creaturas extendendi, quæ crimen *Injustitia contra proximum* sub se comprehendit.

XVI. Intemperans creaturarum *fruitio* tam in eos cadit, qui *genium suum defraudant*, quam in illos, qui ei nimium *indulgent*. Prius fit per *AVARITIAM*, quæ *πλεονεξία & φιλαργυρία* dicitur, ac designat *propensionem voluntatis irrationalem in facultates hujus vite, qua ille tanquam Bonum summum ceteris omnibus tam temporalibus, quam aeternis bonis præferuntur*. Unde fluit, ut avarus in earum possessione se beatum judicans, eas tantum conservare & augere, non autem rite impendere quærat. Gradus autem varii hujus criminis sunt secundum varias personarum circumstantias. Fœdus est in illis, quibus majores divitiæ affluunt *Eccles. iv. 4.* Fœdissimum in illis, qui a rerum mundanarum amore alios avocare debent, personis nempe ecclesiasticis *Jerem. vi. 13. viii. 10. 1. Tim. vi. 5. 2. Petr. ii. . 4. 15.*

XVII. Tanta est hujus vitii turpitudine, ut avaritia *radix omnium malorum* dicatur *1. Tim. vi. 10.* Et recte, quoniam avarus omne malum tam morale quam physicum sibi consciscit.

(1) Morale; nam *Mammonis cultor* injustitiæ summæ contra *Deum, seipsum & proximum* reus fit.

(2) Physicum, quoniam & in hac vita jam miser est, eum licet *divitem se jactet, et desint omnia* *Prov. xiii. 7. Eccles. vi. 11. & camelus facilius per foramen acus transeat, quam ut talis, licet dives sit, in Regnum Dei intret* *Matth.*

XIX. 24. Ephes. v. 5. Prov. xxviii. 22. Jac
v. 1. 2.

XVIII. Oppositum *Avaritiæ* extremum est
PRODIGALITAS Διασκορπισμός, sive illa per-
versa voluntatis propensio, qua facultates hujus vitii
Deo concessæ non rite ad verum scopum impenduntur,
sed per varium abusum ad cupiditates varias imple-
das disperduntur Prov. v. 10. Luc. xv. 11. Hujus
vitii diversæ sunt causæ, scilicet aut *Honoris*
mundani aut *Voluptatis* amor, quæ contra *Avari-*
tiam sæpe militant, eamque supprimunt.

XIX. *Honoris mundani* Amor duo vitia sibi ad-
modum affinia comprehendit *Ambitionem* & *Ar-*
rogantiam. Per *AMBITIONEM*, quæ strictè di-
citur φιλοψυχία, intelligimus *irrequietum*, *glori-*
am, *honorem*, *titulos*, προεδριαν *obtinendi desi-*
derium. *ARROGANTIA* autem Χανρότης seu
ὑπερηφάνια appellatur *fastuosus suam præcellentiam*
ostentandi conatus. Non semper illa ex interna
superbia oriuntur, nam & in illos cadunt, qui
de sua indignitate convicti sunt, ac nihilomi-
nus aliis prævalere volunt. Passim quidem cum
injustitia contra Proximum conjuncta sunt, va-
rieque tam *Politiæ* quam *Ecclesiæ* perturbant;
sed multas tamen actiones etiam comprehendunt,
per quas Proximus non tam directè læditur.
Huc præcipue spectat *Affectatio*, *vana Gloriatio*,
Luxuria, & inane *Famæ aucupium*.

XX. *AFFECTATIO* μεγαλαυχία, ὑψαυχία
propria est tum *gestibus* tum *flexioni vocis*, quan-
do ex illis tanquam signis animus altum aliquid
spirans agnoscitur. Huc pertinent *oculi elati* &
palpebræ se extollentes Prov. vi. 16. xxx. 13.
ambu-

ambulare extento gutture & nutare oculis *Jes. III. 17.* nec non *staturæ & formæ præstantioris præjudicium.*

XXI. GLORIATIO vana seu JACTANTIA, *Καύχσις, Γαυρία* comprehendit

(1) *Verba quæcunque thraonica*, quibus aliquis proprias laudes ebuccinat. *Esth. v. 11. Dan. IV. 10. Prov. xx. 6. Matth. XIX. 20.*

(2) *Facta, quæ cum in occulto fieri deberent, in propatulo eduntur, ut quis gloriam consequatur ab hominibus* *Matth. v. 2.*

XXII. LUXURIA, *πρᾶτησις*, ostentatio, est vitium, quod *divitias impendit ad splendorem coram aliis ostendendum.* Sub honesto *Magnificentia* titulo id passim latet, quamvis revera nonnisi in mediocria ingenia cadat, quæ quo eniti per bona naturalia animi aut corporis nequeunt, per bona fortunæ pervenire contendunt. Huc spectat

(1) *Luxus in pretiosis vestibus* *Jes. III. 17. sq. 1. Tim. II. 9. 1. Petr. III. 3.*

(2) *Luxus in superbis ædificiis & suppellectile.* *Ecclef. II. 5. 6. 7.*

(3) *Luxus in magnificis conviviis* *Luc. XVI. 19.*

(4) *Luxus in numerofo servitio & comitatu,* *παραπομπή, Φαντασία* *Ecclef. II. 8.*

XXIII. FAMÆ AUCURIUM comprehendit *desiderium celebris nominis ex ingenio aut factis præclaris tum in mundo præfenti, tum apud posteros comparandi.* Hoc vitium excellentiora ingenia sæpe inficit, præclara facinora sordida reddit, & cupidini sobolis immodicæ, industriæ artificum, eruditionis amori, scriptioni librorum, inven-

inventisque ad vitæ humanæ commodum utilissimis adhæret.

XXIV. Vitium hoc Deus odio habet Prov. xv. 5. & severe interdicit Job. xi. 6. 7. Jerem. 17. 23. Et certe non solum honorem Deo debitum intervertit, verum etiam solidum honorem, cuius homo capax est, eliminat; quoniam eo facit, ut stultitia ejus appareat, qui pro Junonis nubem amplectitur, & in rebus fragilibus subsistit, quæ infra dignitatem animæ rationalis subsidunt.

XXV. Strictissime ad *Intemperantiam* referri solet *Amor voluptatis* seu *φιλησωνία*, quam concupiscentia carnis gignit, quæque involvit *desiderium immoderatum talium rerum, quæ ad corporis aut sustentationem aut delectationem pertinent*. Huc pertinent præcipue *Comessatio, Ebrietas, Mollities & Pigrizia*.

XXVI. *COMESSATIO*, quæ etiam *κραμπάδα* *Crapula* dicitur Luc. xxi. 34. & *κῶμος* Rom. xiii. 12. Gal. v. 21. exprimit non solum vitium, quo *plures*, quam conservatio corporis sani requirebat, sed etiam *magis exquisitæ dapes* appetuntur, ut appetitus identidem de novo irritetur. Minus id scdum multis videtur, quam *Ebrietas*, quia rationis usum non ita obnubilat. In locis tamen citatis cum eo conjungitur, ut æque exosum esse Deo liqueat. Adde Sirac. xxxvii. 29. xxxi. 20. Jes. xxii. 13. 14.

XXVII. *EBRIETAS*, quæ in N. T. *πότος* & *Μέθη* & *Ομοφλυγία* audit, *abusum intemperantem potus designat*, qui varios gradus habet, tam se-

cun-

cundum *actum*, quam secundum *personas*, quæ crimen hoc committunt.

(1) Quoad *actum* distinguuntur

(a) *Potatio* simplex eorum, qui ultra modum vino aliove delicatulo potus genere se ingurgitant, etiamsi mentis obnubilatio non sequatur: quo etiam referas & *poculum hilaritatis*, quod a *poculo sanitatis* distinguuntur solet, & usum *antipharmacorum* ad ebrietatem arcendam.

(b) *Vinolentia*, qua multum bibendo habitus contrahitur *Jes. v. 21.*

(c) *Ebrietas* strictè dicta, usum rationis minus magisque obnubilans.

(d) *Ebriositas*, qua turpissimum vitium in talem consuetudinem abiit, ut curari amplius non possit.

(e) *Compotatio*, qua homines se invicem Circeis quasi potionibus in bestias, quin Diabolos, transmutant.

(2) Quoad *personas*, cum nihil sit *sordidius* Ebrietate, gravius per illam peccant in dignitate constituti tam politica *Prov. xxxi. 4. 5.* quam ecclesiastica *1. Timoth. iiii. 3.* Confer *Lev. x. 9. 10.*

XXVIII. Severe hoc peccatum vetitum est in verbo Dei *Prov. xxiii. 29. seq. Jes. v. 11. I. Thess. v. 7. 1. Cor. v. 11. vi. 10. Gal. v. 19. 20. 21.* Et inrer opera tenebrarum, quæ filios lucis summopere dedecent, recensetur *Rom. xiiii. 12. 13.* Nihil sane vesanius est, quam

(1) Id, quo Deus hominem super omnia reliqua animantia excellere & ad summam beatitudinem idoneum reddere voluit, Rationem

& Conscientiam, studiose obnubilare & suffocare.

(2) Ei crimini se tradere, per quod tam lubricus in quacunque alia crimina, atrocissimum non exceptis, progressus datur.

(3) Proximo aut risum, aut si honestati magis est deditus, nauseam, aut scandalum summum exhibere &c.

Quæ tanti sunt ponderis, ut quibuscunque exceptiunculis, ac distinctiunculis, quas homines inmundani circa hoc peccatum exputarunt, poplites facile præscindantur. Qui vero prætextu Ebrietatis alia crimina per illam commissa extenuare quærit, tantundem, scite monente *Puffendorpio* facit, ac *conquerens de umbra in domum descendente, qui tectum suum per petulantiam ipse dejecit.*

XXIX. MOLLITIES, seu *Lantitia*, *ἡδονή* *Delicia*, in malo sensu, quæ Græcis dicitur *Τρυφὴ*, *τρυφή*, consistit in nimia sectatione quarumcunque rerum ad vitam delicate ac laute ducendam pertinentium sensusque varia voluptate perfundentium. Huc plurima possunt referri superflua, quibus facultates impenduntur.

(1) *Ornatus* nimium studium in vestitu, ædificiis, hortorum cultura, picturis, sculpturisque egregiis, &c. ut oculi habeant, quod eos delectet *Eccl. II. 8.*

(3) *Unguentorum* prodigus usus *Prov. XXI. 17.*

(4) *Appetitus* nimius rerum palato gratarum, etiam quando negatæ sunt *Num. XI. 4. 5. 6.*

(5) *Vestium & stragulorum mollities* *Matth. XI. 8. Luc. VII. 25. Prov. VII. 16. 17.*

(6) Ni-

(6) Nimia in *letitiam*, *carnalem*, *risum*, aliaque signa animi levis ac deliciis diffluentibus propensio Luc. xii. 19. Eccl. ii. 1. 2. vii. 3. 5.

XXX. Quam invisa Deo sit talis vita, quæ verum creaturarum concessarum scopum plane invertit, liquet ex severis judiciis, quæ talibus imminet Luc. xvi. 19. 25. Eccles. xii. 7. Quod eo magis timendum, quoniam hæc peccata *lascivia* atque *impudicitia* pabulum sunt. Non parum tamen hæc peccatorum genera per circumstantias aggravantur. Tales sunt

(1) Quando facultates in delicias hæc profunduntur, ut aut inopia, aut saltem defraudatio aliorum, ac neglectus officiorum, quæ pauperi debemus, inde sequatur.

(2) Quando in singulos dies vita hæc splendida continuatur 2. Petr. ii. 19.

(3) Quando judicia divina ingruunt Amos vi. 3--6. Jac. v. 5.

XXXI. PIGRITIAM a פגר *lasso* nominatam, seu *otium ignavum*, עצלנות, *ægyptiav*, in sensu strictiori hic appellamus *aversationem laboris honesti conjunctam cum temporis per res nauci consummi dispendio*. Dupliciter ergo piger peccat.

(1) Dum dormiendo, somniando, oscitando demandatum opus negligendo, nihil frugis agendo, tempus fallit.

(2) Dum tædio laboris levissimis *nugis* occupatur, sive otiosis cogitationibus, librorum vanorum lectione, rerum futillum scrutatione, deambulationibus, spectaculis, privatim se ipsum occasione in melius proficiendi spoliet, sive con-

fortio inutili proximi simul damnum promoveat.

XXXII. Vitium hoc Salomō impense exosum reddit Prov. vi. 9--11. xxiv. 30--34. Et merito.

(1) In genere enim non solum tempus pretiosissimum, cuius jactura est irreparabilis, & vires a Deo concessæ ad scopum nobiliorem turpiter disperduntur; sed etiam ad *vitia radicalia* Pigritia est referenda. Nam *otia dant vitia*, quia voluntas nostra nequit in æquilibrio subsistere.

(2) Specialius ad criminis aggravationem pertinet

(a) Quando Deus *charismata ac dona naturalia* præ aliis concessit.

(b) Quando *juventutis* ver, quod ad comparandam utilium rerum scientiam aptissimum est, negligitur.

(c) Quando munus cuiusdam est demandatum, cuius neglectus cum damno Reipublice tam ecclesiasticæ quam civilis est conjunctus.

XXXIII. Ex dictis elucescit, quod *Intemperantia* Regnum ita late pateat, ut varie ipsi fideles per illam inquinari possint, quoniam sub ea comprehenduntur omnes pravatum affectuum exercitus, qui proxime *carnem* illam constituunt, quacum luctandum habent Gal. v. 17. Singularia specimina peccatorum huc facientium in ipsis regnatis sunt:

(1) Reliquiæ *avaritiæ* per curam nimiam rerum mundanarum in discipulis Christi Marc. vii. 17. 18.

(2) Re-

(2) Reliquiæ φιλοτιμίας in ambitiosis desideris matris filiorum Zebedæi Matth. xx. 21. & in arroganti Hiskiaë ostentatione 2. Reg. xx. 13.

() Reliquiæ φιληδονίας non solum in crassiori Salomonis mollitie, sed etiam in quacunque declinatione & averfatione viæ durioris, in qua Christus suos, sæpenumero se jubet sequi Cant. v. 1.

XXXIV. Generalis virtus, quam e contrario rationalis *sui ipsius Amor* immediate producit, est CURA PROPRIÆ SALUTIS, in eo consistens, ut anima fidelis, posteaquam per illuminationem Spiritus sancti rite intellexit, quid ad veram sui ipsius perfectionem pertineat, serio omnibus illis mediis utatur, quæ ad hanc perfectionem conservandam atque promovendam pertinent. Ex hac definitione liquet, quod sub illa comprehendi queant omnia fidei & Sanctitatis veræ officia. Cum tamen quædam huc *mediate* tantum spectent, quorum scilicet proximum objectum Deus atque Proximus est; heic illa in censum veniunt, per quæ immediate aliquis in salute vera occupatus est, sive versetur in sui ipsius excellentia cognoscenda per *Explorationem sui*, sive in illa rite æstimanda per *αυταρχειαν* & *Magnanimitatem*, sive in ea custodienda per *Regimen sui ipsius* seu *Temperantiam*.

XXXV. Injunctio hujus virtutis sæpe occurrit Luc. xiii. 24. Joh. vi. 27. etiam restrictæ ad illos, qui initia gratiæ jam habent Matth. vi. 33. Luc. x. 41. 42. Phil. i. 12. adeoque inter *fructus fidei* merito adnumeratur.

(1) Illi maxime id debent pretioso illi dono, quod cum spe salutis acceperunt.

(2) Illi

(2) Illi soli vires ad hoc officium necessarii per novæ vitæ productionem adepti sunt.

(3) Neque eos retardabit, quod periculo æternæ condemnationis erepti sint. Expositi enim adhuc sunt periculo obscurationis, spei suæ variisque perfectionis suæ obstaculis, a quibus expediti adeoque plenis velis portui summæ felicitatis magis atque magis appropinquare gestiunt.

XXXVI. EXPLORATIO SUI IPSIUS, *Δοκιμασία*, est occupatio regeniti in seipso penitus cognoscendo, ut rectum iudicium tum de statu suo, tum de officiis ei competentibus formare queat. Quomodo illa spectari possit ut medium antecedaneum ad veram Conversionem, Cap. 1. §. 10. sq. visum est. Hic illa comprehendit officium regeniti, quo frequenter defungi debet.

XXXVII. Duplici autem ratione circa Cognitionem sui ipsius occupatur. Aut enim generali *Meditatione* circa se ipsum versatur, quatenus se tanquam opus manuum Domini in natura & gratia considerat, quod ad Cultus Dei certam speciem retulimus Cap. v. §. 66. aut circa seipsum exacte precise fini est occupatus, ut *vocationem atque electionem suam firmam reddat* 2. Petr. 1. 10. Id huius potissimum loci est, atque eo pertinet:

(1) Ut ante omnia *certitudinem gratiæ* per iteratam, quoties novi dubitationum fluctus oriuntur, *criteriorum* recensionem conservare ac redintegrare conemur. *Ad sciendum, quid Deus nobis gratificatus fuerit* 1. Cor. 11. 12. Hoc inculcatur 2. Cor. XIII. 5.

(2) Ut indagemus, quomodo opus gratiæ in nobis

nobis se habeat, & an forte in statu *sanitatis*, aut *agritudinis* versemur, quo spectat *Spiritus iudicii* *Jes.* *iv.* *4.* qui saepe consulendus, praesertim, quando singularia Dei *beneficia* & *judicia* nos invitant atque impellunt.

(3) Ut ad quodcunque opus bonum, cum primis quod majoris momenti est, nos *preparantes* examinemus, an ad illud suscipiendum idonei simus. *Luc.* *xiv.* *28* -- *32.* *1. Cor.* *xi.* *28.*

(4) Ut opere *peracto* inquiremus, an illud rite peractum fuerit *Ps.* *c.* *xix.* *59.*

XXXVIII. Ad *Explorationis* hujus optatum successum

(1) Praequiritur, ut fallaciam cordis nostri agnoscentes Deum *Scrutatorem renum* in auxilium vocemus *Ps.* *c.* *xxxix.* *23.* *24.*

(2) Sub illa diligens comparatio & dispositionis cordis nostri & actionum nostrarum, seposito omni carnis praedicio, cum praescripto Legis divinae instituatur *Jac.* *i.* *23.* *24.* Accedat attentio ad internam *Spiritus sancti* paedagogiam *Jes.* *xxx.* *21.*

(3) Denique sententiam fideliter de nobis ipsis formare & convenienter ei agere debemus *Jac.* *i.* *25.*

XXXIX. Summum hujus officii momentum est.

(1) *Necessitas* ejus liquet ex intimo, quod ei cum vera fide intercedit, vinculo. Fides praequiritur, quia ad agnoscendum bona spiritualia oculus Fidei debet intendi. Fides porro per id promovetur, quoniam actus Fidei reflexus citra hoc scrutinium nunquam potest exferi. Fides quoque

que pretium acceptæ gratiæ ob oculos ponit, & studium ad illam conservandam acuit. Quin omne exercitium gratitudinis hanc Explorationem supponit.

(2) Sed & *aquitas* ejus in se spectatæ patefcit.

(a) Ipsum lumen rationis hoc *nosce teipsum* e cœlo descendisse gentiles docuit.

(b) Nihil decentius est, quam ut id, in quo summa nostra excellentia consistit, primo loco agnoscere contendamus.

XL. *Autarquia*, quam Vulgata reddidit *sufficienciam*, sed potius *Acquiescentiam sanctam in se* nominare possemus, cum synonymum sit *ἠουχίας Quietis*, est illa virtus regentiorum, per quam persuasi de omnisufficiencia Dei, quem suum Deum evassisse deprehendunt, in hac sua prerogativa ita acquiescunt, ut nullis rebus alius se extra Deum indigere agnoscant, & propterea serena mentis tranquillitate fruamur.

XLI. *Materia* ergo seu *fundamentum* hujus virtutis est duplex persuasio.

(1) Primo *autarquis* communis suæ cum Deo ex fructibus persuasus esse debet 1. Tim. v i. 6. Secundum gradus ergo hujus certitudinis ipsa *Acquiescentia* minor majorve esse solet. Initia tamen ejus in minimo etiam Gratia modulo adsunt.

(2) Accedere debet plenior de omnisufficiencia Jehovæ; omniumque creaturarum egestate convictio, quæ ostendit, quam facile creaturis carere possit, qui Creatorem possidet.

XLII.

XLII. Ad ipsam virtutis hujus exercitium referimus:

(1) Ut ille, qui Deo se unitum esse animadvertit, *in Deo suo sibi benedicat* Gen. XXI. 18. XXVI. 4. *Jes. LXV. 16.*

(2) Ut ductui se plane resignet, nihil a creaturis neque sperans neque timens, quæ est vera animi TRANQUILLITAS, & Conscientiæ bonæ fructus, tantopere a Gentilium Philosophis laudatus, sed solis credentibus donatus Prov. XV. 15.

(3) Ut id actu ipso ostendat in rebus prosperis se non efferens, in adversis animum non despondens, & in modico magis rerum statu sorte sua contentus Phil. IV. 11. 12. 13. Hebr. XII. 5. 2. *Theff. III. 12.*

XLIII. Ad virtutis hujus pondus ostendendum notamus:

(1) Quod in Virtutum *catena* deesse nequeat. Genuinus est *Fidei* fructus, quoniam illam *persuasionem* pro fundamento habet, quæ *Fidei* potissimum robur constituit. Et *fecunda* totius *Sanctificationis* promovendæ mater est. *ΑΥΤΑΡΧΗΣ* enim nullis tentationibus, nec per abundantiam, nec per penuriam, latum unguem ab officio suo deturbabitur, exemplo *Mosis* Hebr. XI. 24--26.

(2) Summa quoque *equitate* nititur.

(a) Hunc honorem Deo debemus, ut agnoscamus illius favorem ad tranquille vivendum sufficere.

(b) Singulare pondus excellentiæ inde animæ credenti accedit, cujus *divitia*, *libertas*, *nobilitas*, quam Gentiles fastuose *Sapienti* tribuerunt, in hac interiori serenitate sita est.

(c) Ec-

(c) Ecclesiæ N. T. hæc facies potissimum convenit, quia *Sabbatismum* ejus verum comprehendit

XLIV. *MAGNANIMITAS*, Hebræis in sensu strictiori נריבך, *Spontaneitas*, nec non מדרגה, *Magnitudo eximia*, *Aristoteli μεγαλοψυχία*, *Lucæ ευγενεια* Actor. xv. 11. 11. comprehendit illam ex Deo nati virtutem, qua nobilitatis ac prerogativarum suarum sibi conscius non solum ab illis curis & actionibus, que infra dignitatem ejus sunt, sed etiam talia meditatur, loquitur, agit, que cum tanta excellentia conveniunt.

XLV. *Fundamentum* hujus Virtutis conficiunt masculi conceptus, quos *Magnanimus* per illuminationem Spiritus sancti accepit:

(1) De sua ipsius præcellentia, qua se considerare potest ut ex Deo genitum, maximi honoris, ut regale Sacerdotium, civem cœlestis patriæ, amicitia cum Deo consortem, maximarum opum partim possessorem, partim hæredem.

(2) De rebus extra se, de Deo, de quo nihil humile cogitat; de cœteris creaturis, quarum verum pretium ex vestigiis divinæ gloriæ illis impressis, & ex fine, ad quem productæ sunt, agnoscit.

XLVI. *Exercitium* Magnanimitatis in eo consistit, ut quis *ἀξίως* *digne*, id est, convenienter statui atque relationibus suis vivat & operetur Eph. 1v. 1. Phil. 1. 27. Col. 1. 10. 1. Thess. 11. 12.

(1) *Negative* id fit, quando res terrestres desiderio ac sollicitudine per se indignæ æstimantur; Phil. 111. 7. 8. quando pericula, damna, afflictiones carnis, injuriæ ab aliis illatæ, pensi non habentur

bentur Rom. VIII. 35 -- 37. quando in verbis, gestibus, cultuque corporis nihil leve apparet, quod alias *Gravitas Σεμνότης*, seu *Modestia* solét appellari.

(2) *Positive* huc referimus,

(a) Beneficia omnia divina, atque eapropter & præcellentiam, quam *communio cum Deo* confert, maximi æstimare.

(b) Lucem gloriæ, quæ in corde effulsit, constanti vitæ tenore de se spargere Matth. v. 14. Phil. II. 15.

(c) Irretorto vultu atque pede pro nominis divini gloria stare & decertare instar *leonis juvenis* Prov. XXVIII. 1.

(d) Istud denique *ἄριστον*, *eminentius*, quavis data occasione ostendere, quo Servator noster discipulos suos & a Pharisæis & a Philosophis gentium distingui voluit Matth. v. 20. 47.

XLVII. Quando hæc Virtus excellens atque gloriosa

(1) *In nexu suo* consideratur, adeo Fides inhæret, ut ejus defectus indicium certum sit deficientis Fidei. Egregium ab eadem adminiculum Sanctificatio accipit— quoniam magnanimus præcepta Domini nunquam dura esse conqueretur, sed quod quid *difficilius* est in obedientia Dei & sequela Christi, eo *pulchrius* id esse censebit.

(2) Verum & in se spectatæ pulchritudo apparet.

(a) Quoniam in talibus *majestatis* divinæ imago, & exemplum præambulonis Christi magis relucet.

(b) Quoniam per tales splendor Ecclesiæ veræ
U pro-

promovetur, ac sæpe ipsis mundanis hominibus reverentia atque timor incutitur.

(c) Quoniam id cum primis convenit fidelibus N. T. Pl. cx. 3. Cant. vii. 1. Zach. ix. 15. 6. x. 3. Id enim requirit Spiritus servitutis in Spiritum adoptionis mutatus, discrimen personarum sublatum, cœlestis denique facies, quam Regnum Dei induit.

XLVIII. TEMPERANTIA, σωφροσύνη, quæ Tit. 11. 12. tam late extenditur, ut omnia officia, quæ homo sibi ipsi debet, comprehendat, totumque spirituale Regnum in se ipsum indigat, est ille habitus a Spiritu sancto productus, quo regentis proprias tam mentis facultates actiones & affectiones, quam corporis motiones ita sancte moderatur, ut singule partes per legitimum earum usum scopo suo respondeant, summaque pro modulo suo perfectione gaudeant. Unde liquet duo potissimum Temperantia mûnia esse. Nam

(1) Hinc facultates mentis illis vinculis exsolvit, quæ ei per affectus ipsumque corpus injecta sunt, dum intellectum ac voluntatem veræ Libertati restituit.

(2) Inde autem habenas tam Affectuum quam ipsius Corporis de novo arripit, omnesque motus utriusque intra justos cancellos coërcet.

XLIX. Incipit ergo Temperantia a mente, unde Prudentiam aliquando denotat Matth. x. 16. & τῷ μανεθαι furori opponitur 1. Cor. v. 13.

(1) Quando intellectus occupatur circa talia objecta, quæ Deus vult ut indagemus, & per quorum perceptionem utilitas certa expectari potest

potest Pl. cxxxii. i. Deut. xxix. 29. Rom. xii. 3.

(2) Quando *voluntas*, ubi aliquid potest, non plus vult, quam potest; non solum quoad *factum*, sed etiam quoad *jus*; & ubi nihil potest, nihil vult, quod per *Spiritum σοφρονισμῆ* intelligitur 1. Tim. i. 7. Confer 2. Cor. v. 17.

L. Reddita mens suæ libertati Affectuum remonem apprehendere debet per virtutem, quæ solet *CONTINENTIA*, *ἑγκρατεία* nominari. Per illam enim regeniti paulatim adsuescunt *affectus suos non extirpare*, sed potius *secundum præscriptum illuminatæ rationis atque normam verbi divini dirigere*; dum hinc illos suscitant ad officia illa, quibus conscientiæ tranquillitas procurari atque conservari potest, serio implenda, inde, ubi extra limites exorbitant, frænum iisdem injiciunt.

LI. *Incitatio affectuum* requiritur, propter *ignaviam*, *tarditatem* & *reporem*, qui illis ad omne bonum opus a natura inest Lib. I. c. 9. §. 7. 38. 45. quique per oppositas virtutes, quas ibidem commemoravimus, ac sigillatim *Zelum*, expugnari debet. Quo præcipue spectat repetita identidem *ἀναζωπυροσις*, quæ 2. Tim. I. 6. commendatur.

LII. *Sedatio affectuum* requiritur, tum quoad illos, qui per naturam suam semper *mali* sunt & plane debent erui; tum quoad illos, qui legitimum usum habent & tamen sæpiuscule coerceri debent, sive quando suscitati sunt per objecta, quæ id plane non merebantur, sive quando plus sunt commoti, quam objectorum in-

doles permittit. Sed *sedatio & equatio* mentis est, de qua agitur Pf. cxxx. 2. Cum autem *sedatio* hac peculiare Animi robur partim in rebus *secundis*, partim in *adversis* requirat, hinc variae specialiores Virtutes, ac figillatim *Mansuetudo*, oritur, quæ quamvis passim soleat ad malorum, quæ a Proximo eveniunt, tolerantiam referri, longe latius tamen patet.

LIII. MANSUETUDO, *Lenitas*, עֲנוּוּת, Πεγύτης, Πεγούτης, est illa Virtus, per quam *regentis* ex sensu humili, quem de seipso ac rebus omnibus extra Deum habet, sibi cavet, ne ab externis objectis ex quiete sua facile disturbetur, ac figillatim in mediocri rerum suarum statu, in defectu bonorum tam corporalium quam spiritualium, voluntati divina se totum resignat, in id unum intentus, ut officio suo defungatur.

LIV. Hæc definitio convenit cum nominum rationi, tum vinculo, quod mansuetudini intercedit cum *Humilitate* Matth. xi. 29. & *Tranquillitate* 1. Petr. iii. 4. tum nexui, in quo occurrit Jac. i. 21. ubi omnibus sordibus & excrementis malitie ἢ διψυχῶν, qui fluctui maris ventis agitato sunt similes, opponitur. Adde Jac. iii. 13. ubi stat contra *invidiam*, & 1. Petr. iii. 15. ubi ad *confessionem* veritatis refertur.

LV. Nihil hac virtute pulchrius est.

(1) In nexu considerata genuina filia est *Humilitatis*, nec non *Fidei* ac *Spei*, objectis excellentioribus, quam quæ sub oculos cadunt, intentæ; & singulare robur addit proposito constanter in quocunque officio pergendi. Quare ei τὸ ἀφθαρτὸν, *immunitas a corruptione spirituali*,
pro-

propter constantiam in stadio Fidei & Sanctitatis, quam conciliat, tribuitur 1. Petr. 1. 4.

(2) *In se* quoque considerata Mansuetudo Virtus est maximi æstimanda.

(a) Deo hunc honorem dat, ut ipsi soli vehementissimos motus reseruet, atque tam suam, quam aliarum creaturarum *εδουλειαν* agnoscat.

(b) Exprimit ad vivum exemplum Christi Zach. ix. 9. Matth. ix. 9. cujus umbra duntaxat tenuis in Mosis lenitate fuit Num. xii. 3.

(c) Convenit potissimum fidelibus N. T. qui ut *mansueti* describuntur Jes. lxi. 1. Ps. xxv. 9. lxii. 4. 12. lxxvi. 10. Matth. v. 5.

LVI. Distingui autem debet a *Mansuetudine spuria*, seu *απαθεια* Stoica, quæ est aut *stupor* ac *tarditas*, quædam naturalis, consistens in *ignobili animi circa quæcunque objecta indifferentia*; aut *coacta* quædam *unius affectus* per *alium* licet magis occultum, vehementiorem tamen, *oppressio*; aut *fallax* sui ipsius per vanam in Deo fiduciam *illusio*; aut *ficta* & hypocritica laudis illius, quæ moderatis ac mansuetis tribui solet, *affectatio*.

LVII. Ab his omnibus se distinguit *genuina Mansuetudo*.

(1) Oritur enim ex intima persuasione de officio nostro, quo non ab objectis externis, sed a solo Deo, qui illa moderatur, dependere debemus.

(2) Non solum in quibusdam occasionibus, quæ non multum carnis nostræ motibus perversis adversantur, sed semper, etiam per illorum motuum,

tuum, qui altiores radices egerunt, coërcitionem exerceri debet.

(3) Vera Mansuetudo non præjudicat zelo ac vehementiori animi suscitationi, quando officium nostrum exigit, ut gloriam Dei tueamus. Sic in maxime mansuetis Mose, Davide, Elia, ipsoque Christo, ubi res Dei agebatur, maximus emicuit zelus.

LVIII. Ut autem dignoscatur, quando coërcendi, post Preces ac Verbi Dei meditationem nihil magis commendatum esse debet, quam *rectum de objectorum qualitate iudicium*, circa quod ipsum ejus *argumentum*, tum *tempus* notari meretur.

(1) *Argumentum*, circa quod iudicium verifatur,

(a) Examinat, an objecta mereantur aliquam animi nostri commotionem, id est, an talia sint, ut secundum ordinem inter nos & illa a Deo positum aliquid ab illis sperare ac temere queamus.

(b) Quando id non apparet, affectus compefcendi: si autem jure alterutrum exspectandum sit, porro inquirendum, cujus generis ac quantum sit Bonum, Malumve, quod ab illis imminet.

(2) Circa *tempus* observamus, quod conducat frequenter nobis omnium objectorum externorum nostrique ipsorum dependentiam a Deo in animum revocare. Maxime tamen ad scrutinium hoc per primas impressiones, quas affectus hi in animum nostrum faciunt, invitamur.

LIX. Quomodo hoc Judicium circa singulos Affectus recurat, paucis Affectuum generaliorum exemplis illustrandum est. Sic *Admiratio*

(1) *Incitanda*, quando versatur circa Deum, circa ejus perfectiones atque operationes Job. xlii. 3. Pl. cxxxix. 6. ac sigillatim circa magnalia ejus in Regno Gratiae Pl. cxviii. 23. In illo *admirabilis* illa Lux accensa est 1. Petr. ii. 9. a qua Messias ipse vocatur *Admirabilis* Jes. ix. 9.

(2) *Cohibenda* circa creaturas, quæ quando in causis suis considerantur, nihil admiratione dignum exhibent. Quicquid enim caro per ignorantiam aut præjudicia corrupta admiratione dignum judicat, fideles in *vanitate* sua, quæ omnibus rebus extra Deum consideratis inest, spectatum vilipendunt per *spirituale judicium* 1. Cor. ii. 15. Exemplum ejus occurrit Apoc. xvii. 6. 7. 8.

LX. *Desiderium*, quod est affectus amoris,

(1) *Incitandum* versus omne id, quod *verum* & *bonum* est, adeoque potissimum erga tale objectum, in quo *prima veritas summaque bonitas* perfectissime conjunctæ sunt; ac deinceps versus omnia media, quæ ei subordinata sunt, idque convenienter ordini, in quo posita sunt.

(2) *Cohibendum*, tum respectu *Summi Boni*, ne ulterius quam modulus noster capit, Deum possidere quæramus, uti faciunt, qui decreto divino præcurrunt, qui in hac vita plenius Deo uniri cupiunt, quam corrupta natura permittit, qui

qui terminum plenæ redemptionis cum corpore mortis abbreviari vellent; tum respectu *Boni subordinati*, ne illud desideremus, quando Dei sapientia ejus usum negat, neve medium minus necessarium intensius desideremus, quam magis necessarium, aut in Bono subordinato nimium subsistamus.

LXI. *Aversatio*, affectus odii desiderio oppositus,

(1) *Incitanda* contra id, quod falsum malumque *summum* ac proprie dictum est, quod revera solum est error & peccatum, ac præcipue illud, quod proxime adjacet & altissime carni nostræ inhæret; nec non omnia, quæ in peccatum illicitere possunt.

(2) *Frenanda*, quando nimius horror contra afflictiones & castigationes carnem occupat, quibus sapientia divina ut antidotis contra venenum peccati nos munire vult.

LXII. Per Affectus communio animæ cum corpore exercetur, adeoque imperfectum esset eorum regimen, nisi per illos *Corpus* quoque rite conservaretur. Cum autem *Corporis conservatio* nonnisi per legitimum *creaturarum* sensibus obviarum & ad illam nobis concessarum *usum* obtineri possit, ille nobis impense commendatus esse debet. Huc duo pertinent, primo ut *scopus*, in quem creaturæ illæ nobis concessæ sunt, pendatur; deinceps ut ipse *creaturarum* singularum *usus* ad hunc scopum dirigatur.

LXIII. *Scopus* usus *creaturarum* alius esse nequit, quam adaptatio corporis per illas, ut idoneum animæ ad gloriam Dei promovendam instru-

strumentum sit. Hoc vere est *vas suum possidere in sanctificatione & honore* 1. Theff. IV. 4. & *inculpate illud conservare* 1. Theff. V. 23. instar *vasorum testaceorum* ad cultum umbratilem purificandorum.

LXIV. *Directio* creaturarum ad hunc scopum est ipsum *Dominii in creaturas* exercitium, quod reunitis per Christum cum restitutione imaginis divinae est redditum 1. Cor. I. 21--23. Hoc praecipue in Novo Testamento prudentem requirit administrationem. In illo enim jus Domini in creaturas Christo in manus est traditum Pf. V. 7. 8. 9. Quare & omne discrimen creaturarum est sublatum, quo Regimen hoc olim limitatum fuerat Col. I. 20--22. Tam late autem id patet, quam late se extendunt creaturae sensibus nostris obviae. Duplex earum genus est. Sunt enim aut rationales aut irracionales. Ad priorem classem spectat corpus proximi, circa quod *Temperantia* exercetur per *Castitatem*, de qua infra suo loco. Sub posteriori continentur quaecunque *creaturae irracionales*, quibus ad vitae temporalis tum *necessitatem* tum *commoditatem* uti possumus. Circa illarum tum *acquisitionem* tum *fruitionem* Temperantia justum modum ponit.

LXV. Ad *acquisitionem* rerum hujus vitae referri debet *Labor*, ad quem unumquemque obligat

(1) Praeceptum divinum jam ante lapsum datum Gen. 1. 15. ac deinceps repetitum Gen. 11. 19. Prov. x. 4. XI. 4. etiam sub N. T. 2. Theff. III. 12.

(2) *Natura nostra*, cujus sanitas tam quoad

U 5 men-

mentem, quam quoad corpus, per Laborem optime conservatur.

(3) Relatio nostra ad societatem humanam.

(4) Exempla & ipsius Dei & Sanctorum, quos inter Paulus eminent.

LXVI. Temperantia autem circa Laborem jubet primo loco, ut Labor ille versetur circa rem legitimam Deoque placentem. *Operari debemus Bonum manibus nostris* Eph. iv. 28. Supponit ergo, ut talis vitæ functio eligatur, quæ sit Legi Dei conveniens, viribus nostris congrua, Societati utilis. Ubi illam amplexi sumus, vitata *πολυπραγμοσύνη* aut desultoria levitate illi Labori fideliter inhærendum est, tanquam *vocationi divina*, cui morem gerere debemus.

LXVII. Labori suscepto Temperantia porro modum ponit, tum quoad *scopum* ejus, quoniam modicum rerum mundanarum desiderium imperat, & procul omni cura animum turbante successum operis Providentiæ divinæ permittere jubet; tum quoad *vires*, quæ illi impenduntur, & per Laborem non sunt ita frangendæ, ut minus aptæ ad reliqua officia Deo ac Proximo servanda evadant, propter quæ Corpus conservandum est. *Quare & Quietem & Laxamenta* in justa mensura præscribit.

LXVIII. Quod caret alterna *Requie*, non est durable. *Et somnus est donum Dei* Ps. cxxvii. 2. Eccl. v. 12. Verum iterum opus est temperamento.

(1) Restringi somnus debet ad noctem i. Theff. v. 7.

(2) Non debet diligi Prov. xx. 13. Testatur enim

enim non de naturæ perfectione, sed imbecillitate.

(3) Aliquando & *Vigilie* requiruntur, non superstitiosæ, uti in Papatu, sed religiosæ, quarum exemplum occurrit in Christo Luc. VI. 12. & aliis sanctis Ps. IXXVII. 7. CXIX. 55. 62. 2. Cor. VI. 6. XI. 27.

LXIX. Sub *Laxamentorum* nomine intelligimus quascunque *Recreationes*, quibus & *sanitas corporis conservari* & *animus vegetior ad graviora negotia reddi potest*. Temperantia hic inculcat

(1) Illas non nisi in casu necessitatis suscipere. Sunt enim signa imbecillitatis naturæ, & medicinæ instar adhibenda, in duplici periculo, sive quod a sanitatis debilitatione, sive quod a mentis distractione timendum. Alias ad honorem Dei referri non possent, quo tamen, uti omnia, referri debent 1. Cor. X. 31. Fides veras ac solidas delicias in solo Jehova esse submonet.

(2) In illis *Modestia* ac *Gravitas* Christianæ decus semper religiose conservare, ut omni *scandalo*, etiam *accepto*, ansam præscindamus 1. Thess. V. 21.

(3) Eligere *Recreationes* maxime ad scopum indicatum accommodatas, quales sunt, quæ aut per honestam conversationem, aut per motum corporis quæruntur. Hic ipse autem in *Venationibus* aliisque exercitiis potest esse immodicus. Idem de *Ludis* sentiendum. Sed quia nemo facile solus ludit, ad conversationem cum Proximo eos reservamus.

(4) Justo tempore illas circumscribere. Ruit enim

enim hora, & tempus redimendum est Ephes.
v. 16.

LXX. *Fruitionem* creaturarum varii usus tum ad utilitatem, tum ad necessitatem pertinentes exhibent. Utrique sunt vel *Theoretici* vel *Practici*. Posteriores sub duobus nominibus *alimenti* & *vestimenti* Apostolus comprehendit 1. Tim. vi. 8. In moderato utriusque usu exercetur, *ἡμετεῖς* *Frugalitas*, & *φειδῶ* *Parsimonia*, quæ Luxum omnem excludit, ipsamque creaturarum conservationem involvit, quo pertinet *novisse animam brutorum* Prov. xii. 10. Singula tamen peculiare Leges habent.

LXXI. *Alimentum* complectitur *cibum* ac *potum*. *Temperans* autem eorum usus nominatur, *Νηφελιότης*, seu *Sobrietas*, quæ involvit

(1) Ut corporis nostri vires bene perspectas habeamus, atque inde colligamus, quid illis utile aut nocivum sit.

(2) Ut consueto creaturarum usui aliquando per *jejunium* detrahamus,

(3) Ut non tam gustui grata, quam salubria alimenta adhibeamus; quo pertinet, ut *pharmacis* quoque afflictam valetudinem voluntati divinæ nos resignantes recuperare contendamus.

LXXII. Virtus hæc impense commendatur 1. Thess. v. 6. 8. 1. Petr. iv. 7. Et certa illam requirit

(1) *Amor Dei*, qui nos obligat ad gratitudinem pro tot tantisque officiis, quam *sobrii* tantum ferre possunt.

(2) *Amor nostri*, tam secundum corpus, quoniam *Sobrietas* est sanitatis custos, quam secundum

dum *animam*, quia istud demum est *exsatiari*, quando bonitas Jehovæ in creaturis gustatur.

(3) Fidei indoles, quæ injungit ita *edere*, *bibere*, *hilaris esse*, ut lætitia externa possit umbra esse lætitiæ spiritualis Eccl. v. 8. 9.

(4) Fidelibus N. Test. ita agere proprium est, qui post apertum cœlum, post Canaanis bona sublata, post festivas Sanctuarii epulas abrogatas, post Spiritum abundantius effusum, longe præstantiora bona & possident & spe amplectuntur Ps. IV. 8. Cant. I. I. Zach. IX. 17. Hebr. XIII. 14.

LXXIII. Cum ad *Sobrietatis* exercitium JEJUNIA retulerimus, notandum, ea esse vel *naturalia*, sanitatis causa suscepta, vel *ceremonialia* cultus Levitici, vel *superstitiosa* Pontificiorum, vel *moralia*, de quibus hic agimus. Illa sunt vel *publice indicta*, vel *privatim suscepta ea fini*, ut per illa tanquam *adminiculum idoneum caro humilietur*, Spiritus vero ad devotionem majorem evegetur.

LXXIV. *Jejunia publica*, quibuscum *privata* analogiam habere debent, speciatim requirunt,

(1) Ut tempus illis destinatum officiis pietatis rite impendatur Zach. VII. 3. Huc spectant

(a) Preces humiles & ardentes Jos. VII. 6. 7. 2. Sam. XII. 16. Dan. IX. 3. 20.

(b) Meditatio verbi divini conjuncta cum serio scrutinio cordis ac viarum suarum.

(c) Opera charitatis erga proximum exercenda Jes. LVIII. 7.

(d) Externa tristitiæ signa Joel. II. 12. 17. Jud. XX. 26. 1. Sam. VII. 6. Hoc tamen in jejuniiis

niis privatis non æque necesse est, in quibus omnis ostentatio vitari debet Matth. vi. 16. 17.

(2) Ut non nimium protrahantur, ne corpus ad officia serivæ pœnitentiæ præstanda ineptum reddatur.

(3) Ut non subsistatur in externa corporis afflictione, sed fructus ejus per emendationem totius vitæ ostendatur Jes. LVIII. 3. 6.

(4) Privata sigillatim requirunt, ne nimium cumprimis sub N. Test. multiplicentur Matth. IX. 14.

LXXV. Praxis talium Jejuniorum est salutaris.

(1) *Jejunia publica* constanter a populo Dei fuerunt exercita. partim in magna calamitate premente Joel. II. 12. partim quando auxilium divinum requirebant 1. Chron. XX. 23. Esr. VI. I. 23. In N. T. itidem id non insuetum fuisse, ut auxilium Dei acquireretur, indicat exemplum Ecclesiæ Antiochenæ Act. XII. 2. 3. & Apostolorum Act. XIV. 23.

(2) *Jejunia privata* itidem sancti celebrarunt 2. Sam. XII. 16. Nehem. I. 4. Sub ipso N. T. in circumstantiis certis commendantur Marc. IX. 29. 1. Cor. VII. 5.

LXXVI. *Temperantia circa Tegumenta* primo *Vestes cultumque corporis ita moderatur, uti cum earum scopo convenit.* Scopus ille accommodatus est diverso, quem vestimenta præstant, usui, quique non est temere invertendus.

(1) Usus primus ac potissimus est turpis *nudatus oblectio* Gen. III. 7. Deut. VIII. 4. Ez. XVI. 8. qui non est tollendus per indecoram membrorum refectionem.

(2) U-

(2) Usus alter est ad *defendendum* ab aëris in-
temperie Prov. xxviii. 20. Jac. ii. 16. Huic
non detrahendum nec per luxum nec per ava-
ritiam.

(3) Usus tertius est ad *discrimen* sexus, ætatis,
conditionis, qui oppositus est tum confusio-
nis se-
xus Deut. xxii. 5. tum vestitui peregrino aut
conditionem exsuperanti.

(4) Usus quartus est ad *ornatum* 1. Tim. ii. 9.
sed decentem, luxuria, ac levitate carentem.

LXXVII. Hunc modum ponere Vestitui fas
est :

(1) Quoniam Vestes inter dona Dei pertinent,
unde per illas etiam erit glorificandus, quod
fiet, quando ipse Vestitus externus edocebit,
cui Domino serviamus.

(2) Quoniam in Vestitu per se nihil, quod
ullam rationalem delectationem præbere queat.
Simiæ æque eo superbire possunt ac homines.

(3) Quoniam recordatio originis Vestium sem-
per humilitatem & pudorem incurrere debet.

(4) Quia meliorem ornatum animæ Christia-
nus novit & desiderat 1. Petr. i. 3. 4.

(5) Quia cum legitimo Vestium usu parthesia
est conjuncta illas considerandi ut symbolum ju-
stificantis & sanctificantis gratiæ.

LXXVIII. Remotius *Tegumentum* præbent *Æ-*
des, ad quas *Horti* quoque pertinent. Illarum
commoditatem, supellectilem, ornatum Tem-
perantia moderari præcipit secundum easdem
regulas, ut bona concessa in timore Dei secun-
dum ejus præscriptum possideantur, atque ad ejus
honorem impendantur; quod ubi fiet, ibi nullus
fastui

fastui & luxui locus erit. Rationes speciatim inculcantes sunt:

(1) Quia vanitatis ac levitatis singularis est indicium, si quis hisce capiatur Eccles. 11. 5. Jerem. xxii. 14.

(2) Quia fidelis aliud domicilium quærens, in hac terra se ut peregrinum considerat Hebr. xi. 9. 10.

LXXIX. Dum ditio Temperantiæ tam late patet, momentum ejus maximum facile apparet.

(1) *In nexu* considerata est genuina *Fidei* filia, per quam regeniti plene se Deo resignarunt; & singularem toti naturæ hominis aptitudinem conciliat ad vires internas atque externas absque impedimento ad gloriam Dei impendendas.

(2) *In se* spectata facit,

(a) Ut vinculum dependentiæ nostræ a Deo, etiam sub usu rerum, sartum tectumque maneat.

(b) Ut *mens sit sana in corpore sano*, quæ votorum apud gentiles summa fuit.

(c) Ut perfectissimum illud exemplum Jesu Christi exprimatur, qui cum esset omnium creaturarum Dominus, temperanter in iis utendis est versatus, atque accuratissimum dominium in propriam humanam naturam exercuit.

(d) Ut *dignitas* illa actu demonstretur, qua Christiani præsertim sub N. T. tanquam *regale Sacerdotium* Domini micant, quæque in promisso *Regno Sanctorum* gloriam Hierosolymæ novæ conficiet.

CAPUT